



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Concilia Galliæ Narbonensis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1668**

V. Epistola Fulberti Episcopi Carnotensis pro monachis Majoris-monasterij  
Turonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**



mat; sed liceat memorato Præsuli suisque successoribus sub nostra defensione quietè residere & nostræ parere iussioni. Et quicquid jus fisci exinde exigere poterat, totum . . . . . pro æterna remuneratione eidem concedimus Ecclesiæ, ut perpetuis temporibus Clericis ibidem famulantibus proficiat in augmentum: quatinus rectores ipsius Ecclesiæ, cum omnibus ad se pertinentibus, cum Clero & populo sibi subiecto, pro nobis & totius regni nostri stabilimento Domini misericordiam alacriter exorare delectet. Et ut hoc Præceptum nostræ auctoritatis inviolabile ac æternum obtineat vigorem, manu propria subterfirmavimus, & anuli nostri impressione iussimus sigillari.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.  
 Hagano Notarius ad vicem Rotgeri Archiepiscopi summi Cancellarij recognovit & subscripsit.  
 Data VII. Idus Iunij, Indictione x. anno xxx. regnante Domino Karolo, redintegrante xxv. largiore verò hereditate indepta xi. Actum in Setico contra Torn in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Epistola Fulberti Episcopi Carnotensis pro monachis Majoris-monasterij Turo-nensis.

*Ex veteri codice MS.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fulbertus, non quidem meis meritis, sed gratia præveniente Redemptoris, Carnotensis Episcopus, Notum fieri volumus omnibus confratribus nostris



Presbyteris, Diaconibus, seu cunctis utriusque ordinis, Clericorum scilicet ac monachorum, tam presentibus quam futuris per ventura tempora succedentibus, qualiter monachi sancti Martini Majoris-monasterij nostram adierunt presentiam, humiliter deprecantes ut ob amorem Dei omnipotentis & sanctae Mariae Dei genitricis simulque jamdicti Confessoris Martini quandam Ecclesiam, Navoil nomine, ad Altare sanctae ac beatissimae virginis Mariae pertinentem, eis emere emptamque possidere in perpetuum concederemus. Quod ita fecimus, Hilgodio Milite, cui de nostro beneficio pertinere videtur, assensum praebente. Coemunt ergo eam & minimo pretio in posterum sibi vindicant ab Roberto quodam vasallo & a duobus filiis ejus Arnulfo & Norberto & matre eorum, qui eandem Ecclesiam de Vvallerio filio Gaucelini tenent, sub cujus jussu & assensu sancti Martini monachis venali conditione de reliquo habendam concedunt. Habent itaque ..... & tenent & absque ulla inquietudine alicujus Episcopi seu alicujus hominis ab hodierna die & deinceps monachi Deo & sancto Martino inibi famulantes praefatam Ecclesiam & quicquid ad eam pertinere videtur securè teneant atque possideant. Consistit autem haec Ecclesia in pago Vindocinensi, haud longè ab ipso castro seposita. Nomina vero testium qui ad hoc audiendum producti fuerunt, inferius annotata continentur. Teodericus Capicerius, Sigo Praecentor, Hildegarius Pupilla, Giroinus, Rainaldus Vicedominus, Girardus Bodellus, Gaussinus.

